

Petrus de Vinea

*Ep. V 92 (Pro parte Conuentus
heremi Sanctae Crucis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 92 (Pro parte Conuentus
heremi Sanctae Crucis...)*

1242

Cuidam communitati, ut non molestant quemdam heremum in suis iuribus.

1. Pro parte Conuentus heremi Sanctae Crucis Fontis Auellanae, nostrorum fidelium, in nostra presentia nuper expositum extitit cum querela, quod fratres et oblato hospitalis de ... eorum proprio motu et libera uoluntate submiserint se et hospitale predictum heremo nominatae. Subsequenter, per fratres et oblatos eosdem corporali possessione tradita bonorum omnium hospitalis eiusdem syndico heremi nominatae, uos, auctoritatae propria, tenuta seu possessione ipsorum bonorum heremum ipsam contra iustitiam spoliantes, adhuc detinetis eadem, in eiusdem heremi grauamen non modicum et preiudicium manifestum. 2. Quare, cum per syndicum ipsius heremi pro parte Conuentus predicti nostrae excellentiae fuerit humiliter supplicatum, ut eisdem fratribus in predictis dignaremur secundum iustitiam prouidere, fidelitati uestrae precipiendo mandamus, quatenus, si est ita, bonis ipsis eisdem integre restitutis eis de cetero predictorum occasione nullam molestiam indebite inferatis, bonaque ipsa eos possidere et fructus ex eis percipere permittatis pacifice et quiete. Ita, quod propterea nostro culmini ipsorum iusta querimonia de uobis ulterius non feratur. 3. Etsi ius aliquod uos habere contenditis, illud apud competentem iudicem ordine iudiciario prosecui studeatis.